

Clemens episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Vlframo abbati sancti Michaelis salutem et apostolicam benedictionem. Conueniens esse dinoscitur et honestum, ut, (*fol. 6'*) cum uisum fuerit oportunum, quod personis et locis a Romana ecclesia deferatur et honoris prebeat augmentum, sedes apostolica, que diligenter id consuevit attendere ac insignia concedenda conferre, libenter pro personarum meritis et locorum honoris titulos largiatur. Eapropter, dilecte in Domino fili¹ abbas, deuotionem tuam et tui monasterii diligencius attendentes anuli usum in missa sollempnium festiuitatum, sollempnibus processionibus et conuentibus sinodalibus tibi personaliter duximus concedendum et tuam personam uolumus hiis insignibus decorari.

Dat. Laterani V. kal. maii pontificatus nostri anno secundo.

¹) filii c.